

.v. OMELIA IN NATALE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI .

[.i.] Oportet nos fratres karissimi gaudere hodie et exultare .
et in unum conuenire . ad laudandum et benedicendum
et prædicandum nomen domini saluatoris mundi . Ecce enim ad
est dies præclarus . cunctis gentibus desideratius . diuina gratia
resplendens . candore quidem consueti luminis splendidus;
et precipue natiuitate iesu christi coruscus . In multis igitur locis
sanctarum scripturarum legitur . quod in tempore augusti cesaris .
anno .xlii^o . regni eius . christus nasci dignatus est in mundo .
et ipse quidem per totum regnabat mundum dei numine
sibi subiectum . In illius ergo augusti tempore . multa signa
/11r/ et prodigia facta sunt . ad christi presignandam regis aeterni nati
uitatem . In illius enim tempore circulus aureus circa solem
apparuit . quod significat quoniam ipse nasceretur . Cuius potestas et lux
et pulchritudo et sapientia . circumdaret omnem potestatem .
et omnem lucem . et omnem pulchritudinem . et omnem sapientiam
in cælo et in terra . [.ii.] In illius iterum tempore fons olei manauit
in roma . et fluxit a mane usque ad uesperum . quod significat
unctionem christi ad baptismum et doctrinam eius . qua omnes imbue
ret ad credendum per baptismum . In eius tempore omnia debita
regis laxata sunt ab eo . quia in eius tempore saluator nasceretur .
qui peccata omnibus debita per baptismum humano generi in
dulgèret . In eius tempore sol obscuratus est . lumine per totum
mundum separatus . et post obscurationem ortus est lucide . quod
significat . quoniam christus nasceretur . per totum mundum lucens . ablata
totius orbis gentilitate . In eius tempore terrae motus factus
est magnus . quia ad aduentum christi cum sederit in sede maies-
tatis suę in die iudicii . omnia tremunt . In eius tempore
bella ab orbe terrarum cessauerunt . quod significat quia in eius

tempore natus esset . qui pacem omnibus intulisset . et pacem
inter deum et hominem fecisset ; Inter corpus et animam . Inter
angelos et homines . In eius tempore . animalia fari humana
locutione non dubitatur . Bos enim in roma sub misterio
natiuitatis eius locutus est . nihilominus et agnus in egyp
to humana usus est loquēla . Haec autem omnia facta sunt
fratres dilectissimi . ad significandam christi natiuitatem . ut elimenta
intelligerent . et animalia testificarentur aduentum eius .
[.iii.] In illo tempore ; angelus domini in nocte natalis eius ad pasto
res circa gregem suum uigilantes . in ueste apparuit fulgida .
/11v/ et lux magna de caelo circumdedit eos . et timuerunt timo
re magno . Et dixit eis angelus . Nolite timere. Ego enim gau
dium magnum annuntio uobis . de quo gaudebunt omnes
populi . tribus et linguae . quia natus est hodie sal
uator mundi . Bene autem pastoribus omnium pastor an
nuntiatur . quia per pastores sacerdotes significa`n`tur .
quibus primum uerbum dei prēmonstratur ; ut postea per
eosdem populis prebeatur quos per gregem designari
sentimus . Et hoc uobis signum . Inuenietis eum infantem
pannis inuolutum . et positum in presepio . [.iiii.] Ó felices panni .
quibus peccatorum sordes extersimus . Ó felices uagitus . per
quos pater nos ploratus euasimus . Ó presepe splendidum .
in quo non iacuit foenum animalium . sed cibus inuentus est
angelorum . fabricator mundi . gubernatorque caeli . Et su
bito facta est cum angelo multitudo `militie´ caelestis . id est a patre
lumine descendens . laudantium deum et dicentium . Gloria
in altissimis deo . et in terra pax hominibus bone uolunta
tis . Gaudeamus igitur omnes fideles in domino . quia hodie
nobis de cælo pax uera descendit . Hodie per totum
mundum melliflui facti sunt cęli . Hodie enim christus natus
est nobis . hodie saluator apparuit . Hodie in terra canunt

angeli . letentur archangeli . Ideoque et nos conlaudemus
fratres karissimi . benedicentes dominum regem natum in terris . ut ciues
simus sanctorum in celis . Prestante eodem domino nostro iesu christo .
cui est honor et imperium et potestas . uná cum patre
et spiritu sancto . per infinita secula seculorum . amen .